

qui in hac rogatione suadenda dicerent, Milonis manu caedem esse factam, consilio vero majoris alicujus. Videlicet me latronem, ac sicarium abjecti homines, et perditum describebant. Jacent suis testibus ii, qui Clodium negant eo die Romam, nisi de Cyro audisset, fuisse rediturum. Respiravi: liberatus sum: non vereor, ne, quod ne suspicari quidem potuerim, videar id cogitasse. Nunc persequar cetera, nam occurrit illud: ne Clodius quidem de insidiis cogitavit, quoniam fuit in Albano mansurus, siquidem exiturus ad caedem e villa non fuisset. Video enim, illum, qui dicitur de Cyri morte nuntiasse, non id nuntiasse, sed Milonem appropinquare. Nam quid de Cyro nuntiaret, quem Clodius Roma proficiscens reliquerat morientem? Una fui: testamentum simul obsignavi cum Clodio: testamentum autem palam fecerat, et illum heredem, et me scripserat. Quem pridie hora tertia animum efflantem reliquisset, eum mortuum postridie hora decima denique ei nuntiabatur?

XIX. Age, sit ita factum: quae causa, cur Romam properaret? cur in noctem se conjiceret? quid afferebat causa festinationis? quod heres erat? Primum erat nihil, cur properato opus esset: deinde, si quid esset, quid tandem erat, quod ea nocte consequi posset; amitteret autem, si postridie mane Romam venisset? Atque, ut illi nocturnus ad urbem adventus vitandus potius, quam expetendus fuit: sic Miloni, cum insidiator esset, si illum ad urbem noctu accessurum sciebat, subsistendum atque expectandum fuit. Noctu, invidioso et pleno latronum in loco occidisset; nemo ei neganti non credidisset, quem esse omnes salvum, etiam confitentem, volunt. Sustinisset hoc crimen. primum ipse ille latronum occultator et receptator locus, dum neque muta solitudo indicasset, neque caeca nox ostendisset Milonem: deinde ibi multi ab illo violati, spoliati, bonis expulsi, multi etiam haec timentes in suspicionem caderent: tota denique rea citaretur Etruria. Atque illo die certe Aricia rediens divertit Clodius